

potentior? qui cum imperator bello Persico servitute Graeciam liberasset, propterque invidiam in exilium missus esset, ingratae patriae injuriam non tulit, quam ferre debuit. Fecit idem, quod XX annis ante apud nos fecerat Coriolanus. His adjutor contra patriam inventus est nemo: itaque mortem sibi uterque conscivit. Quare talis improborum consensio non modo excusatione amicitiae tegenda non est, sed potius omni supplicio vindicanda, ut ne quis sibi concessum putet, amicum, vel bellum patriae inferentem, sequi; quod quidem ut res coepit ire, haud scio, an aliquando futurum sit. Mihi autem non minori curae est, qualis respublica post mortem meam futura sit, quam qualis hodie sit.

Haec igitur prima lex amicitiae sancitur, ut ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus: nec expectemus quidem, dum rogemur, sed studium semper adsit, cunctatio absit: consilium vero dare gaudeamus libere: plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas: eaque et adhibeatur ad monendum non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulabit, et adhibitae pareatur. Nam quibusdam, quos audio sapientes habitos in Graecia, placuisse opinor mirabilia quaedam. Sed nihil est, quod illi non persequantur suis argutiis: partim fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus: satis superque esse sibi suarum cuique rerum: alienis nimis implicari molestum esse: commodissimum esse, quam laxissimas habenas habere amicitiae, quas vel adducas, cum velis, vel remittas: caput enim esse ad beate vivendum, securitatem, qua frui non possit animus, si tamquam parturiat unus pro pluribus. Alios autem dicere ajunt multo etiam inhumanius, (quem locum breviter perstrinxi paullo ante), praesidii adjumentique causa, non benevolentiae, neque caritatis, amicitias esse expetendas. Itaque ut quisque minimum firmitatis habeat, minimumque virium, ita amicitias appetere maxime: ex eo fieri, ut mulierculae magis amici-